

13365
DISSERTATIO

IN AVGVRALIS-JVRIDICA,

D E

IVRE IMPERANTIS

IN PERSONAS,

E T

BONA CIVITATIS.

1774.1
6



VIENNAE,

TYPIS JOANNIS THOMÆ NOB. DE TRATTNERN,
SAC. CAES. REG. AVL. TYPOGR. ET BIBLIOP.

1774.

DEUTSCHE BIBLIA

ACCORDANTIA NOVÆ ET

TESTAMENTI BIBLIE

ACCORDANTIA

ÆTATIVIS ANIS





DISSERTATIO IVRIDICA

D R

IVRE IMPERANTIS IN PERSONAS, ET BONA CIVITATIS.

C A P V T I.

DE IVRE IMPERANTIS IN PERSONAS CIVILES.

§. I.

Omnibus hominibus hoc a natura tributum est, ut felicitatem ac securitatem quaerere, eiusque impedimenta remouere teneantur; hic autem finis quum in vita segrege, aut etiam minoribus societatibus haud potuerit obtineri, luce profecto clarius est, iisdem necessitatibus moralem fuisse impositam, arctiorem quandam virium et voluntatum unionem ac coetum ineundi, in quo sele communi subiicerent imperio,

A 4 eique



eique omnia ad finem hunc obtainendum
media necessaria largirentur.

§. II.

Coetus hic hominum sui iuris communis salutis, ac securitatis causa sub eodem imperio congregatorum vocatur *Ciuias*. Is, cui imperium hoc collatum est, *Imperans* dicitur, singuli vero, qui iuriis suis naturalibus libertatis, et aequalitatis renuntiarunt, eaque in unum aliquem transferendo eidem simul se subjecerunt, *parentes*, sive *subiiti* nominantur. Complexus jurium in imperantem translatorum efficit Majestatem, ex quo prono velut alueo fluit, majestatem residere penes imperantem, et iura omnia, quae ex notione imperantis intelligi, ac explicari possunt, esse maiestatica, quorum licet plura quidem numerentur, omnia tamen ad duo praecipua capita reduci possunt, prout se se exerunt vel in personas, et operas ciuium, vel res, et bona ciuitatis concernunt.

§. III.

Rursus utrumque hoc ius imperantis maiestaticum tam in personas, quam bona ciuitatis, rationem sufficientem habet vel in statu reipublicae ordinario, vel in statu eiusdem extraordinario, quippe necessitatis,



sitatis, aut maioris cuiusdam utilitatis. Primum de iure, quo imperans semper opus habet ad promouendum commune bonum, nobis dicendum erit, vt eo facilior aperiatur via transeundi ad alterum, quo destitutus haud satis supereffet reipublicae ad eum casum demissae, et profligandi opinionem eorum, qui dum imperanti concedunt primum, alterum tamen illud absque omni iniuria eidem negari posse contendunt.

§. IV.

Et hoc quidem capite ius imperantis in personas ciuiles exposituri sumus, de iure eiusdem in bona ciuitatis capite proximo acturi. Ius imperantis in personas ciuiles *imperium* dicimus. Ne igitur nobis de hoc iure differentibus obscuritatis notam inurere videamur, adecuratam ante omnia imperii ciuilis definitionem praemittendam esse duximus. Est autem imperium ciuale *ius dirigendi actiones subditorum pro arbitrio ad finem ciuitatis*, hoc est communem securitatem (*). Hoc imperanti concessum esse patet ex obligatione eidem imposta procurandi securitatem, ne obligatio haec omni prorsus effectu destituta tur §. I.

(*) Cl. de Martini posit. de iure civit. C. 3.

§. 50.

A 5

§. V.



§. V.

Ex hac, quam dedimus, imperii ciuilis definitione generalis eius effectus adparet, ut imperanti ius sit ad omnes operas ciuium, quas reipublicae administratio, et defensio exigit, et quae inde derivantur iura specialia, quippe ut iis certam agendi normam praescribere, certa negotia peragenda iniungere, inuestigare, an iis recte fungantur, probos confirmare, improbos, aut desides corrigere, vel dimittere possit, imo inuitos cogere ad negotia obeunda, petitamue dimissionem illis recusare.

§. VI.

Ponamus enim, imperantem facultate hac non pollere, tum totus ciuitatis finis subuertetur, iacebit commune bonum, et status primaeus redibit. Quum enim data obligatione ad finem necessario etiam ius competit ad media, sine quibus finis iste obtineri non potest, imperans autem obligetur procurare salutem ciuium §. I. et nihil non agere, quod ad eorundem perfectionem, ac felicitatem conferat, patet, eum quoque iure cogendi omnes, quotquot in ciuitatis existunt territorio ciues, ut ad eam eo certius obtainendam coniunctis viribus adlaborent, instructum esse debere.

§. VII.



§. VII.

Sunt autem personae ciuium in primis duplicitis generis: aliae usibus profanis, et forensibus, aliae autem immediate cultui divino deputatae. Vtrasque imperio ciuilli subiicimus, et recte quidem; subiectio enim haec cum ex rectae rationis usu, tum ex ipsa natura, ac indole societatis ciuilis adeo luculenter hauritur, ut nemo genuinis iuris principiis imbutus illam in dubium reuocare audeat. Siquidem omnino aequum est, et ex natura cuiuslibet societatis fluit, paribus frumentis iuribus aequalia sentire onera, imo absurdum foret, eos, qui volunt fieri participes commodorum, incommoda subterfugere velle.

§. VIII.

Et profecto doctrinam hanc ipsam optime consentientem esse religioni christiana docemur ex sacris literis, dum Christus animam omnem potestatibus sublimioribus non solum metu coactionis externe, sed et manus suae vindicis, si quae contra fecerit, parere voluit. (*) Ecclesiam suam potestate quidem, attamen sacra tantum instruxit, ac ciuili imperio minime per eam derogare intendit, sed Caefari dari iussit, quae sunt Caefaris, et quae sunt Dei, Deo (**). Quum enim



enim is ipse idem sit religionis et ciuitatis auctor, in quam nos dictante lege naturali orto conflictu officiorum erga nos concedere iussit, diuina eius sapientia omnino exigebat praecipere, ne religio ciuitatis finem euertat, aut remediis ad eum obtinendum necessariis impedimenta ponat.

(*) Ad Rom. 13. v. 14. I. Petri 2. v. 13.

(**) Ad Corinth. Cap. XII. v. 12. 13. 27.

§. IX.

Utrisque igitur ciuium personis tam sacris, quam profanis incumbit obligatio voluntates, ac vires suas subiiciendi ei, qui ius habet administrandi rempublicam: omni enim iuri obligationem correlatam esse constat. Et est haec obligatio ex perfectarum genere, nascitur enim ex iure gubernandi ciuitatem, quod imperans in rō suo habet ex translatione singulorum in se facta §. 1. et in cuius exercitio a nomine ciuium turbari potest, quin turbatio haec iustitiae stricte tali, ac ipsi ciuitatis scopo repugnet.

§. X.

Rector ciuitatis itaque singulos ciues ad ea omnia, quae ad finem societatis ciuilis idonea esse credit, adigere potest, non

non tamen ad ea, quae cum societate nullum penitus nexum habent: iura enim maiestatica mensuram accipiunt ex fine ciuitatis, qui tamen, si haec ipsa caeteroquin adiaphora sibi deposceret, nulli dubitamus imperanti etiam horum intuitu eandem potestatem, ac vim adtribuere. Ita poterit iubere imperans, ut se se ad militiam accingat ciuis, patriamque sanguine suo defendat, non etiam, ut Titiam in uxorem ducat, nisi id ipsum quoque communis boni promouendi remedium euaderet, ac de caetero fini matrimonii haud repugnaret.

§. XI.

Quoniam autem remedia semper aptissima adhiberi debent sanandis reipublicae morbis, facile colligitur, ad patriae defensionem feligendas fore personas, quibus securitas quam maxime praestatur, ac illas in primis, quibus alia sparta haud obtigit in republica, ne reliqui, quibus alia commissa sunt negotia, in his rite obeundis distrahantur. Ideo validiores tantum, donec sufficiunt, laicos ante sacerdotes, nullo affectos munere ante officiales publicos ad militiam vocare fas est. Et quum omni iuri corresponeat obligatio §. 9. ciues obligantur iussu imperantis operas praestare militares, neque illas unquam



quam fuga, aut mutilatione membrorum detrectare.

§. XII.

Nec minus vi imperii ciuilis impe-
rans ciues ad publica negotia obeunda
adigere potest, illi autem aequē tenentur
commisla sibi munera suscipere, suscepta
rite administrare, neque unquam eorum
dimissionem inuito imperante dare, siqui-
dem hic iure, quod in ciues habet §. 5.
inuitus priuaretur, eique iniuria inferre-
tur. Quare boni ciuis est, iusta imperan-
tis exequi, vel si quae subfit iusta se ex-
cusandi causa, eam oculis illius subiice-
re, vt in collisione officiorum faciat ex-
ceptionem.

§. XIII.

Negotia autem, quibus distineri so-
lent subditi in ciuitate, *interna* sunt, *vel*
externa, scilicet statum reipublicae inter-
num, *vel* externum spectantia. Ad ne-
gotia externa referimus statum belli, pa-
cis, foederum, ac legationum: interna
rursus sunt alia ecclesiastica, politica alia,
quae iterum in varias abeunt species. Prae-
cipuae ex illis sunt defensio, ac propaga-
tio religionis, adcurata iustitiae admini-
stratio, commerciorum cultura, tutela
pupillorum, ciuiumque minorennum cura,

Igitur

Igitur ciues alii siue munere legationis, aut belliducis fungi, siue pacis mediatores agere, siue ecclesiis tanquam antistites, iudiciis autem, et commerciis tanquam summi praefides praeesse iuste iubentur, hisque alii ad negotia haec rite obeunda subordinantur: tandem alii pupillorum tutelam, minorennum vero curam mandato imperantis gerere tenentur.

§. XIV.

Et quoniam obligatio ad finem necessitatem idonea impendendi remedia inuoluit §. 6. ciues autem tenentur negotia sibi demandata rite obire §. 12. nemo ciuium de eo, quod ad status sui, in quo positus est, perfectionem, adeoque vel ad notitiam adcuratam exterarum gentium adquirendam, coniectandosque hominum mores, et ingenia, vel ad artis bellicae gloriam, vel ad virtutes omnigenas in fociis excitandas, contrariaque vitia extirpanda, vel denique promptam exactamque iustitiae administrationem, commerciorum florem, ac pupillorum, et minorennum utilitatem conferre posset, quidquam a se vñquam desiderari patiatur. Quamobrem quilibet muneri sibi delato siue in aulis peregrinis, siue in ecclesia, siue in ciuitate, inque hac tum poli-



politico, et iudicali, tum commerciali
ex aise satisfacere omnibus viribus con-
nitatur.

§. XV.

Quid? quod imperans ciuem officii
fui immemorem remedii etiam coactius
ad eiusdem praestationem adigere possit.
Fac enim imperantem hoc iure non esse
praeditum, iam inanem reddes obligatio-
nem procurandae salutis publicae, iam
frustra finem ciuitatis praefolabimur, iam
vanum erit ciuitas commentum. Quem-
admodum nemo patrifamilias potestatem
patriam, aut domesticam abnegare audet,
quin eum hoc ipso inanem contraxisse
obligationem fineque suo excidere velit.

§. XVI.

Atque hac ratione confectum esse ex-
stimo, ut imperanti ius in omnes ciuium
personas, et operas, quas status reipu-
blicae ordinarius efflagitat, competere
intelligamus. Primum enim ex solo
rationis lumine satis constat, eum, qui ci-
uitatis participat commoda, incommodis
quoque obnoxium esse, et ad communem
eius salutem concurrere oportere, neque
ullum vitae genus ab hac regula parere
exceptionem §. 7. dein lex diuina positiva
nouum huic obligationi vinculum addit

§. 8.



§. 8. denique ipse finis ciuitatis hoc ius
fibi exposcit §. 6. Nefas igitur foret,
illud priuati commodi causa quoquo
demum modo interuertere.

§. XVII.

Itaque facile est elidere aduersario-
rum tela, quibus veritatem hanc labo-
factare conantur. Dicunt, primos tan-
tum ciuitatum conditores imperio ciuili
fuisse obstrictos, posteros autem se nun-
quam subieccisse: abesse enim tantum, ut
se subiecerint, ut potius quam minimum
primaevae suae libertati detraxisse cen-
fendi sint. Sane subiectionem per con-
ventionem constitui aiunt, hancque mu-
tuuo consensu absolui, qui quum in poste-
ris nulla ratione euinci queat, patere,
totam illorum subiectionem fictitiam esse,
ac prorsus inanem. Enimuero quisque
dum in ciuitate nascitur, et educatur, in
eam venit, ac eo ipso sese illius iurisdi-
ctioni subiicit: absurdum enim foret iis
dem frui velle commodis cum reliquis ci-
uibus, inaequalibus autem iuribus cen-
seri.

§. XVIII.

Sed aīs, homines in ciuitate natos, et
educatos saltim tamdiu subditorum nu-
mero contineri, quamdiu in ciuitate vi-

B uunt,



unt, quod si autem e ciuitate discedere voluerint, se se ab imperio ciuili liberare posse. Verum enim uero discessus iste personae semel iam nexui ciuili adstrictae cum primario ciuitatis scopo §. 4. tum iuri imperantis per translationem imperii quaesito §. 9. haud parum aduersatur, aliterque licitus fieri non potest, nisi consentiat imperans, aut subditi discedentis opera uti nequeat, cuius tamen rei iudicium ipsi relinquendum erit. Neque enim subditi iuri imperantis praiejudicare, neque se ipsos a lege naturali soluere possunt.

§. XIX.

Vrgebis forsan, causam condendrum ciuitatum fuisse salutem hominum, et felicitatem externam, quod si ergo ista non obtineatur, imo potius eidem noceatur, hac cessante etiam ipsam ciuitatem cessare oportere. Quis autem quae so te docuit, salutem ciuitatis ea tantum ratione constare, qua tu tibi eam imaginaris? an in translatione imperii excipere poteras, te ad nutum tuum non imperanti parere nolle? certe obligationem inanem contraxisses. Imperantibus itaque, cuius officium est, optime nosse reipublicae circumstantias, arbitrio committi debet, quid e re sit ciuitatis? et in eo singuli ciues



ciues imperium transferentes acquiescere
velle se declararunt.

§. XX.

Modestiores videri volunt, sed non sunt, qui non omnes quidem ciuium personas, at illas saltim, quae speciatim, ac immediate cultui diuino sunt dicatae, ab imperio ciuili eximunt ex hoc potissimum fundamento, ne ab officio diuino auocentur, et ne impediatur cultus Dei. Nam sicut hae personae antea ex numero ciuium fuerunt, et summae potestati ciuili subiectae, ita nec ob sacrum illorum officium definunt esse ciues, nec religio est modus tollendae obligationis, aut iuris amittendi, nec exemptionem villam tribuit ab imperio ciuili.

§. XXI.

Prouocant equidem ad sacras literas tam veteris (*), quam nouae legis (**), ex quibus omnimodam personarum sacram immunitatem ab imperio ciuili hauriendam esse sibi persuadent. Sed vel ibi sermo est de iniuriis, quibus hactenus solebant adfici personae sacrae, vt ab iisdem imposteroem erga illas abstineatur, vel de immunitate a tributis, et oneribus, quae tamen ipsa etiam a personis sacris praefenda esse infra auctoritate



ipsarum sacrarum literarum ostendemus.
Firmum itaque manet ius imperantis
generale in quascunque ciuium personas,
quod hactenus stabiliuimus.

(*) Psalm. 104.

(**) Matth. c. 17. v. 24. seqq.

§. XXII.

Exposito iure, quod imperanti com-
petit in personas ciuiles in statu reipubli-
cae ordinario, transimus ad ius, quod
eidem ex statu reipublicae extraordinario
oritur. Variae sunt variorum de signifi-
catione huius iuris sententiae, quas tamen
omnes, quin lis tantum sit de voce, ac
nomine, operiosus examinare non adtinet.
Alii cum Grotio (*) illud dominium emi-
nens, atque supereminens: alii vero imperii
nomine, alio denique alii vocabulo in-
signire voluerunt. Nos litem hanc ita
facillime terminari posse putamus, si ius
hoc dum sepe exercit in personas ciuium,
potesias, vel *imperium eminens*, quando
autem in res, et bona eorum exercetur,
dominium eminens nuncupetur. Illius na-
turam nunc, huius vero in sequenti ca-
pite examinabimus.

(*) L. I. de I. B. & P. c. I. §. 6.

§. XXIII.

Est autem imperium eminens *ius sive
facul-*

facultas summae potestati ciuili competens in collitione salutis publicae cum salute singulorum, de his quoquo modo disponendi ad conservandum totum corpus, aut maiorem eius partem. Veritas huius definitionis colligitur ex ipsa lege naturae immutabili, qua sicut ad ineundam ciuitatem sumus obligati, ita et ad finem ei propositum obtinendum omnes vires, ac operas conferre iubemur, huic autem obligationi ius imperantis supremum correspondet §. 9. Non enim soli nobis nati funus, inquit Plato, sed et praeter parentes, atque amicos non minimam ortus nostri partem patria sibi vindicare videtur. Et vero, si in alia quavis societate sociis quisque finem propositum procurare tenetur, quanto magis obligabitur ciuis patriam ab interitu vindicare, qua pereunte reliqua omnia corruant necesse est?

§. XXIV.

Hinc constat quidem, imperanti in eo statu, quo aliter salus publica obtrineri non potest, competere imperium eminens, sed non aequa conflat, quibus ex causis illud exerceri queat? Alii exercitium tam imperii, quam dominii eminentis sola necessitate circumscribunt (*), alii sola quadam maiori reipublicae utilitate contenti sunt (**). Sane verissi-

B 3 mum



mum est, vtrumque id ius tam ex causa necessitatis, quam utilitatis et olim fuisse exercitum a Principibus, & hodie passim exerceri. Et recte, salus enim publica, ad quam omnes ciues procurandam obligantur §. 16. id quandoque exigit. Quando autem vera subsit necessitas, aut utilitas, eius rei arbitrium procul dubio est penes ipsum imperantem, qui solus optime perspicere potest, ac debet indigenitiam suae reipublicae, et in cuius voluntate ii omnes, quibus solum parendi gloria est relata, suam includere debent.

(*) Pufendorf. L. 8. de I. N. et G. c. 5. §. 7.

(**) Grot. de I. B. et P. L. 2. c. 14. §. 7.

§. XXV.

In hoc certe reipublicae statu, nisi imperanti ius tribuamus praeferendi bonum commune bono priuato singulorum, breui omnis ciuitas dissoluetur. Tantum igitur abest, vt imperans hic quidquam iustitiae, aut aequitati contrarium praecipere videatur, vt potius manifestam legis naturalis violationem committant ii, qui iussa haec imperantis exequi recusauerint, et insuper in certissimum laesa maiestatis crimen incurvant, si eorum vim in dubium revocare ausi fuerint. Contrauenirent enim fidei datae in ingressu ciuitatis, se nunquam reipublicae

com-



commodis deesse velle, probe gnari, perdendo patriae salutem priuatam seruari non posse. Et sicut incongruum foret patrifamilias opem auxiliumque denegare, ita quoque legi naturali repugnaret imperantem in fine ciuitatis procurando impedire.

§. XXVI.

Quum vero imperium eminentis limitibus necessitatis aut maioris cuiusdam utilitatis reipublicae circumscripserimus, patet, imperantem boni viri officio fungi oportere, neque ius illud semper, ac pro lubitu, sed tum demum in actum deducere posse, quum eius exercitium unicum seruandae ciuitatis, vel obtinendae maioris cuiusdam utilitatis euadit remedium. Et solerter ei circumspiciendum est, an reuera finis ciuitatis, cui uice admodum debet imperium eminentis, per illud promoueatur.

§. XXVII.

Hisce praemissis progredimur ad effectus imperii eminentis. Generalis eius effectus est, ciues etiam inuitos ad defendendum ab hostium vi, aut conseruandum tranquillum reipublicae statum a potestate ciuili cogi posse, adeo, ut cum vitae suae etiam dispendio patriae labo-



ranti quantocytus succurrere teneantur. In qualibet enim ciuili societate quisque ciuium vita, et sanguine est obstrictus suae reipublicae, cuius bonum promouere vnitis cum reliquis viribus omnibus modis tenetur §. 6. et 9. Cui obligationi si non satisfaciat sponte, omnino ad eam explendam iure compelli potest.

§. XXVIII.

Et sicut ex uno fonte plures riuali promanare possunt, ita quoque ex generali hoc effectu plures deducuntur conclusiones. Quum enim subditi quovis modo teneantur patriae salutem praestare §. 27. inde necessario consequitur ius imperantis, eosdem licet reluctantes, spontaneis deficientibus ad militiam cogendi, vulneratos, et captiuos in praelio deserendi, denique innocentes etiam hosti vel simpliciter, vel tanquam obsides extradendi. Inter media enim procurandae securitatis, ac felicitatis externae haec iura omnino recensenda sunt.

§. XXIX.

Quia vero salus publica non tantum belli tempestate exorta, sed pacis etiam tempore, vel propter nimiam vicinorum potentiam, regnandique inordinatam libidinem, vel ipsorum ciuium interdum exitio-



exitiosas molitiones, atque insidias. periclitari potest, non solum mutante iam reipublicae statu, atque fortuna, ciues ad eiusdem defensionem cogi possunt, sed nullius iniustitiae argui potest summa potestas, si etiam in tranquillo reipublicae statu certam quandam ciuium partem armis interim assuefactam, ac exercitatum, promptam semper resistendis hostium insultibus tenuerit. Soleint enim prudenterissimi quique ciuitatum Rectores in bello de pace, pacis vero tempore de bello maxime cogitare.

§. XXX.

Quod si itaque imperanti ius est ciues cogendi ad militiam, qua vel imminentia belli mala declinentur, vel tuta, et tranquilla rerum omnium facies conseruetur §. 29. aut patriae bello laceratae restituatur, omnes autem ciues ad hunc finem conspirare tenentur §. 27. liquet, omnes etiam, quoscumque imperans ad patriae defensionem necessarios, atque idoneos esse iudicauerit, ad arma adripienda compelli, et contra hostes ad propulsandam quamvis iniuriam educi posse. Neque illi excipiuntur, qui alias priuilegio immunitatis se se tueri possunt, quales sunt ministri ecclesiae, quos imperans toties militiam amplecti, et ciuitatem

B 5

etiam



etiam sanguine suo defendere iuste iubet,
quoties extremum eiusdem dissoluendae
periculum adparet.

§. XXXI.

Sunt enim et illi membra reipublicae,
cui ecclesia ab eodem auctore profecta
nullatenus officere potest. Est enim
partem, siue membrum cuiusdam ciuilis
societatis, et simul ministerio diuino ad-
dictum contradictionem quam minime in-
voluit. Illud sane optime consistere potest
cum obligatione, rectori ciuitatis prae-
stanti obedientiam ipsa lege diuina natu-
rali, et positiva praeceptam §. 8. Et
enim totum hoc ministerium sacrau conti-
netur cultu Dei, quem non verbis fo-
lum, et actionibus immediate illuc ten-
dentibus, sed quam maxime etiam pa-
triae ab interitu liberatione promoueri
ipsa Dei voluntas, quae ciuitatem iniri
auisit, abunde nos edocere potest.

§. XXXII.

Porro quum Clerici iisdem prorsus ac
reliqui ciues in republica fruantur bene-
ficiis, praefidium, ac defensionem vitae,
rerumque suarum ab eadem fortiantur
ciuitate, quid conuenientius esse potest
iuri naturali, quam illos quoque patriae
defensionem suscipere, et quam iniustum

ex



ex aduerso foret, sibi ab hac cum totius ciuitatis pernicie vel minimam exemptionem adrogare? Ab omni itaque iniustitia abhorret, eandem in illos ac reliquos ciues potestatem, vbi necessitas postulaverit, aliudque conseruanda reipublicae remedium haud supersit, exercere.

§. XXXIII.

Nec obstat ordinis sanctitas, et spiritualis ecclesiae subiectio, siquidem in primis duplex in iis finis, ut in omnibus hominibus, spectandus est, alias nempe ecclesiae, seu *internus*, qui in aeterna hominis beatitudine collocatur, et ab ecclesia dirigitur, alias ciuitatis, sive *externus*, quippe in externa hominum felicitate consistens, & imperio ciuili subiacens; neutrum vero per alium impediri, imo hunc per illum quam maxime adiuvari res est longe manifestissima. Dein cultus Dei, cui speciatim illustrando dicati sunt Clerici, praecipue in imitatione diuinarum perfectionum consistit, is autem, qui homines seruat, misericordiam Dei insigniter imitatur, igitur nil prohibet, quominus Clerici, vt existente casu necessitatis ad patriae defensionem concurrent, excitentur.

§. XXXIV.



§. XXXIV.

Sed de hoc satis. Altioris indaginis quaestio est, an ciuis vnum, vel plures vi eminentis imperii ad euitandum imminentis ciuitatis excidium deferi queant? ei nulli dubitamus, quæstionem hanc adfirmare, quod ius hoc ex idea, ac fine ciuitatis fluat, quam ingrediendo singuli promiserunt, se bonum priuatum bono publico posthabituros. Quidni enim hoc ipsum promiserint facere in tali reipublicae statu, quo alioquin defendi amplius, ac vindicari non possunt, sed denegata sui desertione cum integra ciuitate aequo perituri fuissent? Recta ratio praeterea suadet, e duobus malis minus esse eligendum, per vnius autem licet innocentis, aut plurium etiam desertionem ciuitatem totam atroci hostis crudelitati eripere, non minorem modo inuoluit mali-
tiam, sed summam etiam prudentiam manifestat.

§. XXXV.

An vero etiam eandem ob causam tradi in manus hostium possit ciuiis innocens vi eminentis imperii, quaeri solet? Nos et hanc potestatem imperanti omni alio ciuitatis seruandae remedio deficiente ex iisdem prorsus rationibus adtribuere



buere haud vere^mur. Quis enim eam
ip^si negare au^fit, quum saepius tot in-
nocentium myriadum interne^cione miser-
rimum reipublicae interitum auertere ne-
cess^e fit? Agit quidem ille singulorum
etiam ciuium curam, eo tamen modo,
vt potior semper totius reipublicae habe-
tur ratio.

§. XXXVI.

Maior difficultas oritur, an imperans
ciuem vi eminentis imperii vita etiam
priuare poslit, si hostis id postulauerit?
Sunt, qui et hoc ius imperanti vindicare
volunt: quamuis enim non exiguum in-
iusti speciem in occisione insontis ciuⁱis
ineste facile largiantur, posita tamen ex-
trema reipublicae necessitate etiam ultima
quaueis remedia adhibenda esse arbitran-
tur. Saepe enim accidere, dicunt cum Ci-
cerone (*), ut quod plerumque turpe ha-
beri soleat, pro ratione temporis imeniatur
non esse turpe. Sed quum homini ius in
vitam, ac membra nusquam concessum
esse constet, neque ciuⁱis ipse illud in im-
perantem pro casu necessitatis transferre
potuit, neque imperans aliunde nisi ob
injustam ciuitatis adgessionem, aut se-
curitatis turbationem a ciue adtentatam
ius vitae ac necis accepit.

(*) De offic. 3.

§. XXXVII.



§. XXXVII.

Mirum forsan quibusdam videbitur, nos absque omni haesitatione imperanti ius occidendi ciuiis ad seruandam rempublicam negare, dum tamen extraditionem ciuiis in manus hostium licite fieri posse statuimus. Eadem enim traditionis, ac mortis inferendae rationem esse dicunt, quod idem fit ciuem manifesto mortis periculo exponere, ac ipsam ei necem inferre. Verum falluntur, quotquot ita ratiocinantur, latissimamque mortem inter, ac traditionem disparitatem haud satis agnoscunt: dum enim extraditur ciuiis, iubetur solum se exponere periculo, vago tamen adhuc, atque incerto (quis enim scit, an hostis vitae eius non sit parcitus, vel an non ciuis ipse alio quodam felici fato discrimini sit evasurus?) periculo autem se exponere ad euitandum maius malum omnino licet: at vero occidio ciuiis innocentis malum est certissimum, quod committere imperanti nec in collisione licet, eo quod facultatem hanc neque ex ipsius ciuiis concessione, vt pote qui eam concedere non potuit §. 36. neque aliunde habere intelligatur.

§. XXXVIII.



§. XXXVIII.

Iam *vt de iure imperantis obsides dandi pauca quaedam differamus, ordo exigit.* Sunt autem obsides *personae consensu unius imperantis in alterum translatae, ut apud eum obsideant rerum praefendarum quasi pignus* (*). Imperans & hoc modo inuitos etiam ciues vi eminentis imperii hosti extradere potest. Si enim ciuem simpliciter, et ad libitum hostis eidem tradere potest §. 35. quanto magis id ipsum sub conditione licere debeat, dubium nullum supereesse potest? Et quum ius oriatur ex obligatione, ciues autem teneri pro republica fideiubere, siquidem alia ratione pax et tranquillitas publica patriae reddi nequeat, omni dubitatione caret §. 27., ius quoque imperanti natcitur in tali casu ciuem vnum, vel plures petenti hosti in securitatem tradendi.

(*) Cl. de Martini Posit. de Jur. ciuit. §. 680.

§. XXXIX.

Illud tamen in primis nobis hic dispiendum erit, ad quid imperans obsides datos obligare valeat? Certe, quum in securitatem rerum praefendarum dentur obsides §. 38. imperans eos obligare potest, ac debet, *vt in honesta accipientis custodia tamdiu se contineant, donec ei- dem*



dem satisfactum fuerit. Si enim obsidi fugere liceret, inanis foret omnis cautio per dationem eius praestita, neque ullus malorum, ac belli exitus sperandus. Et quoniam ciues singuli naturalem suam libertatem communis subiecerunt imperio §. 2., huic quoque voluntati imperantis, ne aufugiant, obtemperare omnino obligantur.

§. XL.

GROTIUS (*) in ea fuit opinione, non eum animum fuisse imperantis obsidem dantis, eundem obligandi, ne unquam aufugeret, sed hosti solum dandi facultatem, qualis vellet custodiae, quod si itaque huic euadendi occasionem nancisci possit obses, ea ipsi uti licere, nisi ab initio, vel postea, quo laxius habetur, fidem dederit, se nonabiturum, ut adeo nunquam ex voluntate imperantis, sed tantum ex pacto ad custodiam seruandam obligari videatur. Verum qualis fuerit animus imperantis obsidem dantis, ex sine, ob quem datus est, colligi debet, qui in reddenda securitate, fidem datam seruatum iri, consistit §. 38. imperans igitur obsidi aufugiendi facultatem nunquam concedere voluisse prae sumendum est.

(*) De I. B. et P. L. 3. c. 20. §. 54.

§. XLI.

§. XLI.

Persuasum erat veteribus, imperantem quoque, qui obsidem dedit, hostius dare posse, ad parente sua perfidia obsidem licet innoxium morte, ac supplicio puniendi, quum olim vulgo quisque crederetur in vitam suam id iuris habere, quod in res alias, atque ius hoc consensu aut tacito aut expresso a singulis peruenisse ad ciuitatem. Ast postquam dissipatis ignorantiae tenebris serenior illuxit orbi literato dies, et verior sapientia nos docuit, Deum sibi dominium in vitam hominum reseruasse, neque iis permisisse, vt eam pro arbitrio abiicerent, patet, nec ex proprio ciuium consensu imperanti competere ius eorundem vitam aliis obligandi. Sed nec ex idea maiestatis fluit ius vitae, ac necis in ciuem innocentem §. 36. igitur nec ab imperante ob perfidiam suam ius illud hosti in obsides, quorum nulla accessit culpa, committi potest. Agnouerat huius decisio-
nis veritatem Scipio (*), dum aiebat, se non in obsides innoxios, sed in ipsis, qui defecissent, saeuiturum, nec ab inermi, sed ab armato hoste poenas expetiturum.

(*) Vid. Liuius L. 28. c. 34.



§. XLII.

Ne tamen perfidia imperantis , qui
obsidem dedit , securitatem alterius per
obsidis dationem adquisitam penitus red-
dat inutilem , ac elatioriam , nouamque
det bello causam , atque rempublicam
maioribus adhuc exponat malis , impe-
rans obligare obsidem potest , ac debet ,
vt fractae fidei poenam libertate sua luat;
quilibet enim ciuis ingrediendo ciuitatem
libertati suae naturali renuntiauit §. 2.
quod vtique ei facere licuit , eamque in
imperantem ita transtulit , vt quandocun-
que reipublicae necessitas ad declinanda
grauiora mala iacturam eius efflagitauerit,
hanc ei facere liceret . Hinc est , quod
obses , vbi imperans fidem datam fefel-
lerit , in captiuitatem , ac seruitutem
sine iniuria redigatur .

§. XLIII.

Quum autem omnes ciues finem ciui-
tatis aequaliter procurare teneantur , ne-
que vllus eorum plus altero iniuriae ob-
eum ferre obligetur , sequitur , vt si vnum
eorum hosti vel simpliciter , vel tanquam
obses tradatur , ab eoque molestias , vel
ipsam plane mortem subire debeat , hae ipsi ,
aut proximis eius ab imperante suo com-
pensandae sint . Iniquum enim foret penes
eum



cum solum ingentia esse incommoda, neque vilam ei pro illis praestari satisfactio-
nem, alios vero omnes cum illius detri-
mento bonis ciuitatis gaudere. Igitur imper-
anti ius est, hos ad reparandas pro
parte viii, alterieue ab hoste illatas iniurias
compellendi. Sin autem ex pluribus vnuſ
ab hoste petatur ciuis, et intuitu reipub-
licae omnino indiferens sit, hunc vel il-
lum hosti petenti extradere, ne quisquam
fibi p̄ae aliis iniuriam per sui traditionem
illatam esse conqueri posſit, res haec om-
nis forte dirimenda videtur.

C A P V T II.

DE IVRE IMPERANTIS IN BONA CIVITATIS.

§. XLIV.

Hactenus de imperio. Iam de iure, quod
imperanti ciuili competit circa res, et bo-
na ciuitatis, videamus. Et quidem bona
ciuitatis sunt omnia illa, quae in ciuitatis
existunt territorio, et pro diuerſo ea poſ-
ſidendi modo etiam variis insigniuntur
nominibus. Scilicet alia ad vniuersos ci-
ues ſpectant, & publica, alia a singulis poſ-
ſidentur, et priuata vocantur. Illorum
iterum duae ſunt species, vel enim quoad

C 2

pro-



proprietatem tantum sunt omnium, usui
vero singulorum patent, bona publica in
specie, vel etiam usus eorum tantum univer-
sifis competit, patrimonium ciuitatis nun-
cupantur (*) Ad priorem speciem fluuii,
pontes, ac viae publicae, ad posteriorem
aedes, fundi, omnia denique bona came-
talia referuntur.

(*) Cl. de Martini Posit. de Iur. ciuit. §. 165.

§. XLV.

In haec omnia bona tam publica quam
privata ius supremum adserimus imperan-
ti ciuili; quale vero sit istud ius, nobis
hic inquirendum est? Ac in primis in con-
templatione bonorum publicorum dupli-
cem huius iuris differentiam deprehendi-
mus: sunt enim eorum aliqua, quae con-
seruanda vitae dignitatique imperant, et
aulae eius inseruant, quaeque si in re-
bus mobilibus consistant, bona fisci, si vero
in rebus immobilibus, ceu praediis, bona
domania adpellantur: his imperans vten-
di fruendi habet potestatem. Alia deinde
bona publica defensioni ac administrationi
reipublicae sunt destinata, bona aerarii;
haec solum administrandi, et ad bonum
commune ciuitatis dispensandi ius habere
intelligitur.

§. XLVI.



dicitur ad hanc sententiam

§. XLVI.

Quamvis autem diuersum sit ius, quod imperanti in bona publica competit, id tamen his omnibus commune est, vt imperans solus ea possidere, ex facultate possessionis quoscumque extraneos ab iis excludere, et cunctis omni actu circa eadem interdicere queat. Inter bona publica quoque numeranda sunt bona in territorio ciuitatis contenta, nec tamen a singulis adprehensa, bona iacentia, a despota, vt adeo imperans praecipuum ius haec occupandi habere censeatur. Quum enim integra ciuitas non certa tantum bona, sed integrum terrarum, et aquarum tractus possessionem, et proprietatem generalem adquirere possit, (*) patet, imperantem quoque, qui eam repraesentat, et in quem omnia ciuitatis iura translata sunt, idem omnino ius habere.

(*) Grot. de I. B. & P. L. s. c. 2. §. 4.

§. XLVII.

Quaecunque autem sint ciuitatis bona, imperanti ius competit, ea in publicos usus conuertendi, et sumptus necessarios ex iis colligendi, siquidem salutem publicam promouere tenetur §. 6., ab obligatione autem ad finem ad ius remedii cum eo necessario connexi argumentum ducere licet. Neque

C 3

enim



enim salus ciuitatis interna sine variis sub-
sidii obtineri, aut conseruari, neque ex-
terna contra hostium vim ac iniurias suffi-
cienter praestari potest, quod eleganter
probat Tacitus(*), dum ait: *neque quies gen-
tium sine armis, neque arma sine stipendiis,
neque stipendia sine tributis haberi queunt.* Sci-
licet hi sunt nerui illi rerum tam pacis,
quam belli tempore gerendarum, quibus
desitui regna, et ciuitates sine certissimo
status, et salutis suae periculo nunquam
possunt.

(*) Hist. IV. cap. 74.

§. XLVIII.

Quamdiu bona publica fini ciuitatis
adsequendo sufficient, nulla est iusta
causa, ob quam imperanti ius in bona
priuatorum vindicemus. Sola itaque in-
sufficientia honorum publicorum ad sco-
pum ciuilem obtainendum est ratio iustifica
iuris, quod imperanti in bona priuatorum
competit, vi cuius subditos ad partem ho-
norum suorum ad usus publicos suppeditan-
tandam adstringere potest. Quum enim
imperans teneatur finem ciuitatis procura-
re, hic autem absque hoc iure aliquando
obtineri non poslit, consequens est, id ip-
sum imperanti esse tribuendum, sine quo
obligationi, ac officio suo nulla ratione fa-
tisfacere potest §. 47.

§. XLIX.

**§. XLIX.**

Ius hoc imperantis in bona priuatorum non ipsam eorum substantiam adtingit, sed in quaedam solum eorum confectaria sese exerit, quae imperans hoc vel illo modo in usus publicos conuertenda esse definit, et a cuius diuersa definitione varia quoque huic iuri ab eo exercito nomina tribuuntur. Habet autem imperans diuersa fundamenta, ex quibus ius in confectaria bonorum priuatorum exercere queat, et ciues adigere, ut pro modo facultatum suarum ad ferenda onera publica concurrant.

§. L.

Scilicet imperans rationem praestationis partis bonorum, quam a subditis exigit, vel desumit ex obligatione procurandi securitatem, et inde pendente iure omnia media ad hanc necessaria impendendi, inter quae praestationes huiusmodi haud ultimum merentur locum. Quum igitur priuati in secura, ac quieta rerum, aut praediorum suorum possessione conseruentur ab imperante, nulli omnino legi repugnat exactio partis bonorum, quam imperans pro emolumento hoc a subditis exposcit. Exactio haec, quando sit pro rebus immobilibus, et quae usu consumi



non possunt, *tributum et fleura*, quando vero soluitur pro rebus mobilibus, ac fungibilibus, *accisa et licent* adpellatur.

§. LI.

Vel ratio praestationis in eo sita est, quod vtens rebus suis priuatis simul etiam vtatur bonis publicis, pro quorum vſu omnino aequum est aliquid praestari. Quum enim imperanti cura horum bonorum incumbat, vt ad vſum ciuium fint idonea, ipsa sane ratio eidem omnia ad curam hanc rite gerendam media tribuit, omnibusque iis, qui de ea participant, obligationem imponit, eam per partem bonorum suorum subleuandi. Ius imperantis hoc titulo partem bonorum a subditis exigendi *vestigal* dicitur.

§. LII.

Variae autem sunt pro diuerſitate bonorum publicorum, quibus vt solent ciues, *vestigalis* species. Utuntur quippe ciues inprimis viis publicis, pontibus, fluiis, foro etc. quum vero ad priora omnia sarta tecta conseruanda et securitatem in iis viatoribus praestandam imperans ingentes tenetur sumptus facere, iustitiae maxime congruit, vt hi ab iis, quorum causa facti sunt, et qui emolumen-
tum inde percipiunt, eidem refundantur.

Pari



Pari ratione iustus est census, quem imperans a mercatoribus pro facultate vendendi in foro publico res suas exigit, tenetur enim et hic sumtus facere ad tranquillitatem fori conseruandam, litesque in eo exortas breui definiendas.

§. LIII.

An etiam pro vsu maris vectigal liecat petere, quaeri solet? Et adfirmandum fundamentum est hoc, quod et tunc priuatus re sua vtens simul bono quodam publico vtatur, et quod varii insuper sumtus tam ad constituenta nauibus tuto excipiendo loca, quam ad securitatem nauigantibus praestandam ferendi sint. Contra negant alii huic inherentes rationi, quod mare res sit inexhausti vsus, atque impatiens omnis adprehensionis, et custodiae in bonis ciuitatis existere nullo modo dici possit, itaque cuilibet hominum pleno iure ad vsum patere debeat.

§. LIV.

Nos quaestionem hanc distinctione inter totum mare, et partem eius dirimendam esse censemus. Scilicet dum de toto mari sermo est, lubenter fatemur, illud nunquam primaeuae communioni subtrahere licere, atque tunc omnino negantium Parti adsentimur. Contra partes maris,

C 5 qua-



quales sunt portus, litora, freta minora
immunitatem a dominio haud ita tueruntur.
Sunt enim haec omnia inclusa ciuitatis
territorio, atque adeo simul cum eo oc-
cupata §. 46. dein etiam vicinis classibus,
et tormentorum explosione possideri, ac
sufficienter defendi possunt.

§. LV.

Accedit, quod partes maris, quae
territorium ciuitatis adluant, omnium
vsiibus haudquaquam sufficient, id vero,
quod aliquando deficere potest, recte
occupatur, quod alienum a recta ratione,
et regulis politices esset, ea, quae nobis
vsum, ac utilitatem praestare possunt,
aliis sponte relinquere, qui haec ipsa ali-
quando in nostram perniciem conuertere
possunt. Partes enim maris siue piscibus
capiendis, siue sali faciendo, aliisque plu-
rimis commodis acquirendis quam maxi-
me inferiunt, non tamen omnium per-
fectioni sufficient, quare dominium inde-
que pendentia iura nullatenus respunt.

§. LVI.

Neque dicas, stante etiam hac pro-
tectione dominii, quod imperanti in par-
tes maris ciuitati proximas competit, nul-
lum tamen ius petendi ex illis vctigal-
erui posse: vsum enim partis alicuius ma-
rinac

rinae, qui in sola nauigatione consistit, esse innoxiae vtilitatis, nec nauigantes sibi ab imperante, cuius est pars maris, securitatem praestari postulare, igitur nec ad ullum onus ferendum cogi posse. Verum-enim quo innoxiam huius nauigationis vtilitatem concernit, putandum tam-en est, eam fieri in loco, cuius custodia requirit sumtus, quos a nauigantibus compensari omnino aequissimum videtur. Dein quamuis vni alterius nauigantium non videatur necessaria securitatis praestatio, imperans tamen suis subditis eam praestare tenetur, quae ab ipsis praeteruehentibus sub praetextu nauigationis innoxiae facilime turbari posset.

§. LVII.

Hinc patet, imperantem non minus ex partibus maris, quam aliis bonis publicis emolumendum percipiendi ius habere. Et quum alterum in iure suo turbare siue laedere ipsius iuris naturalis sit inhibitio, quod ab omni mutatione abhorret, nemini profecto solutionem vectigalis, aut tributi recusare licebit, neque obligatio illa soluendi cum iure imperantis necessario connexa vlo modo euerti poterit.

§. LVIII.



§. LVIII.

Quoniam ius imperantis in bona priuatorum ex necessitate finem ciuitatis obtinendi deduximus §. 48., sequitur, vt tantum liceat imperanti exigere a priuatis, quantum finis hic postulat, quod si plus exigat, iam limites suae potestatis quidem egreditur, neque tamen subditis propterea ei resistere licet, siquidem illi non possum iudicare, quid ad finem ciuitatis sit necessarium? sed id totum iudicium imperanti ab initio conditae ciuitatis reliquerunt §. 2. Inde quoque fluit, cessante causa praestationum, hoc est, necessitate, ipsas quoque praestationes abolendas esse.

§. LIX.

Et quia ciues singuli pro modo facultatum suarum onera publica ferre tenentur §. 49. multarum rerum possessores plus conferre oportet, quam eos, quorum patrimonium sat angustum est, quod et illi his maius emolumentum ex fine ciuitatis sentiant. Denique ex ipso hoc fine adaptaret, rebus ad vitam tolerandam necessariis, velut pani, carni, lignis, et quae sunt id genus alia, leue admodum onus esse imponendum, contra iis, quae ad delicias, luxum, et commoditatem vnicے spectant, omnino maximum. Iniquum enim

enim foret, ciues illos multum grauare, qui se mediis ad finem ciuitatis obtinendum necessariis instruunt, iustum vero est res illas grauiori onere adficere, quae reipublicae inutiles, imo saepe perniciose sunt, quum comparatio illarum vel in nimiam fortunaram, quas ciues possident, prodigalitatem degeneret, vel plane pecuniae ad eas comparandas destinatae non sine magno reipublicae detimento e regione exportentur.

§. LX.

De rebus et bonis ecclesiasticis, vtrum iis tributa et vectigalia imponi possint, oritur dubitatio? quanquam et in his idem ius summae potestati ciuili competere certum sit. Quemadmodum enim Clerici, quatenus ciues sunt, imperio ciuili subiacent, ita quoque bona temporalia ab illis possessa eidem obnoxia esse debent. Nec villam hisce bonis immunitatem concederet fas est, quin reliquis ciuibus praeiudicium inferatur, quod iis hoc in casu alia ratione compensandum foret. Egregium huius iuris imponendi tributa et vectigalia etiam bonis ecclesiasticis testimonium dedit ipse Christus Dominus (*), dum et pro se censem soluere Petrum iussit.

(*) Matth. c. 17. v. 24. seqq.

§. LXI.



§. LXI.

Lectu sane dignissima in hanc rem sunt verba S. Ambrosii, quae ideo hic adscribo. Ita enim ille: (*) Si enim censem filius Dei soluit, quis tu tantus es, qui non putas esse soluendum? et ille censem soluit, qui nil possidebat, tu autem, qui seculi sequeris lucrum, cur seculi obsequium non recognoscas? Cur te supra seculum quadam animi arrogantia effers, quum seculo sis misera cupiditate subiectus? si tu vis Cæsari non esse onerosus, noli habere, quae mundi sunt, sed si habes diuitias, obnoxius es Cæsari. Si vis regi nil debere terreno, relinque omnia, et sequere Christum. Cui verba haec lucem maximam non adfundunt, eum prorsus indocilem esse oportet.

(*) In Comment. ad Cap. 5. Luc. L. 4. c. penult.

§. LXII.

Veritatem istam iure naturali, et divino positivo luculentam immunitatis ecclesiasticae patroni variis modis eludere conantur. Opponunt primo exempla Pharaonis (*), et Artaxerxis (**), quos solo rationis lumine obligationem sacerdotibus indulgendi immunitatem agnouisse aiunt, eandem igitur obligationem multo magis in Principes Christianos cadere. Verum ambo haec exempla nullo modo euincunt praetensam immunitatem

a

a tributis, et vectigalibus, sed primum
sacerdotes a peculiari quodam onere re-
liquis aegyptiis imposito eximit, alterum
vero non naturalem quandam obli-
gationem sacerdotes eximendi a tributis
soluendis inducit, sed singularem solum
erga illos clementiam manifestat.

(*) Genes. 47. 22.

1. (***) I. Esdrae 7. 24. ~~omnes homines~~

§. LXIII.

Secundo in partes suas vocare volunt
farcas literas nouae legis (*), quod ibi
Christus liberos pronuntiauerit filios, &
scandali tantum euitandi causa ab iisdem
tributa esse soluenda dixerit. Sed tantum
abeat, vt hic textus probet immunitatem
praetentiam, vt potius nostram senten-
tiam perspicue confirmet. Certe enim
scandalum ob actionem aut omissionem
in se iustum, nullaque prorsus lege praec-
ceptam, aut veritatem causari non potest:
si itaque Clerici nullo modo ad tributa
soluenda tenerentur, Christus ne quidem
mentionem scandali iniicere potuisset. Sed
nec soli Clerici, verum omnes christiani
sunt liberi Dei adoptiui renati per gra-
tiam in baptismo; quam parum igitur
omnes, ita nec Clerici soli a tributis sol-
uendis immunes censi debent. Demum
im-

immunitas haec praetensa Clericorum manifeste aduersatur Apostolo docenti (**), ab omnibus tributum, aut vectigal redendum esse Caesari.

(*) Matth. c. 17. v. 24. & seqq.

(**) Ad Rom. 13. v. 1. seqq.

§. LXIV.

Quod autem dicunt, consensum saltim, et licentiam romani Pontificis esse necessariam ad rite exigenda tributa a Clericis, eorumque bonis, absurditate sua iam satis refutatur. Ne tamen responsum dare subterfugere videamur, persuasum nobis est, consensum hunc supponere generalem Pontificis in bona Clericorum potestatem, quam tamen ipsi datam fuisse nusquam adparet. Ipse enim Christus Dominus, cuius in his terris vicarii sunt romani Pontifices, regnum suum non esse de hoc mundo adseruit (*), atque populo etiam, ne rex crearetur, seie subtraxerat (**).

(*) Ioann. 18. v. 36.

(**) Ioann. 6. v. 15.

LXV.

Stabilito sic in vniuersum iure imprestantis ab omnibus subditis, cuiuscunque sunt status, aut conditionis, et ex quibus-
uis



uis eorum rebus exigendi tributa, et ve-
ctigalia, illud tamen in primis optimo
cuius ciuitatis rectori cordi esse debet, ut
in tributis, et vectigalibus imponendis ex-
actam inter subditos aequalitatem obser-
uet, quae in proportione ad quantitatem,
et qualitatem bonorum, tum ad modum
ea percipiendi faciliorem habita consistit.
Egregie hac de re scribit Iosephus Aco-
sta de promulgatione Euangelii apud In-
dos (*): *in lege ferenda onerosū praeferunt
finis ipse impiciatur, atque pensionis tantum
imponatur, quantum fini proposito congruit.*
*Tum vero in distribuendis eiusmodi oneribus
proportionis aequalitas consuetur.*

(*) L. 3. c. 10.

§. LXVI.

Restat adhuc duos quorundam erro-
res refellere. Sunt quidam (*), qui ius
vectigalium, et tributorum docent ius esse
domini, alii vero, qui ius hoc non nisi
vi eminentis dominii in bona subditorum
ab imperante exerceri posse existimant.
Sed quum dominium ius sit in ipsam rei
substantiam, admitti hoc nulla ratione
potest: iniquum enim esset tributis, aut
vectigalibus omnem rerum substantiam
exauriri, hominumque ignauiae in ex-
colendis commerciis, aut agricultura oc-
cationem daret. Fundamentum vero do-

D minii



minii eminentis non in simplici tantum obligatione imperantis finem ciuitatis procurandi, sed simul in extrema reipublicae necessitate, aut maiori quadam utilitate collocatur.

(*) Hobbes. de ciu. 6. 15. et 13. 11.

§. LXVII.

Explicationem iuris, quod imperanti competit in bona priuatorum in statu reipublicae ordinario, excipit alterum ius, quod ex statu reipublicae extraordinario oritur, hoc est, necessitate, aut maiori quadam utilitate, et dominium eminens adpellauimus §. 22. Est autem hoc ius sive facultas summae potestati civili competens disponendi de substantia bonorum priuatorum, quoties haec dispositio necessaria est ad bonum totius ciuitatis obtainendum, aut conservandum. Deriuatur autem hoc ius ex natura, ac indeo societatis ciuilis, et necessitate mediis ad finem ciuitatis obtainendum: quum enim imperans teneatur salutem publicam procurare, atque ad hunc scopum omnia media necessaria eidem competant §. 1. facile cuius patebit, eidem et ius perfectum in substantiam bonorum priuatorum communis boni causa, quod fecus obtineri nequit, esse adtribuendum.

§. LXXI.

§. LXVIII.

Dominio huic imperantis eminenti responderet obligatio parentum commodum suum priuatum publico postponendi, siquidem hanc subordinationem exposit finis ciuitatis, quem obtinere coniunctis viribus singuli in ingressu ciuitatis promiserunt. Enimvero si unum augmentum ex communione ciuitatis redundans sibi adplicare velit socius, ad damnum autem nullum eiusdem causa ferendum sece obligare, societati ciuili ineptus foret, quae ideo potissimum contrahitur, ut publica causa floreat, qua cadente res unius alteriusue priuata incolumis servari non potest. Verissime hac de re scribit Valerius Maximus (*): *eversa domo intentatus reipublicae statu manere potest, urbis vero ruina penates omnium secum trahat necesse est.*

(*) L. 5. c. 6.

§. LXIX.

Principia, ex quibus dominium eminens a summa potestate ciuili exercendum intelligi possit, sunt extrema reipublicae necessitas, aut maior quaedam utilitas §. 67. in hoc igitur solo statu, non etiam extra illum pro arbitrio imperantis res ciuium destruendi, aut iisdem adi-



mendi ratio sufficiens reperitur. Profecto plenitudo potestatis in imperante eo non extenditur, ut etiam absque necessitate, aut utilitate publica aliquem dominio rei suae priuare possit, siquidem ubi dominium, aut aliud ius alicui legitimo modo partum est, id, ne ei auferatur, iuris est naturalis, quod etiam imperantem adstringit, qui insuper non publicum tantum, sed priuatum quoque cuiusvis bonum, si id fieri possit sine discrimine totius reipublicae, ex natura, et sine ciuitatis querere, non autem interuertere obligatur.

§. LXX.

Vbi autem usus communis, aut publica necessitas postulat potestatem mancipandi priuatorum fortunas, tum ea iuste, atque prudenter ab imperante exerceri potest. Necessitatis enim tanta vis est, tantaque efficacia, ut tribuere possit, quod ipsum ius antea non tribuere videbatur. Sane priuatis quoque hominibus urgentissimum hoc telum ius confert rebus alienis utendi, si aliud nullum se conseruandi, aut defendendi remedium superfit, quanto magis summae potestati ciuili in eum casum demissae, unde nisi res, vel bona ciuium auferat, exitum videat nullum, manus in ea iniectionem eodem

eodem iure necessitatis licitam esse debere
nemo non videt?

§. LXXI.

Quum igitur ex causa tantum necessitatis, aut utilitatis iure eripiendi res, et bona ciuium gaudeat maiestas, cauendum est, ne plus auferat ciuibus, quam omnino necessarium est, vel utile in rem publicam: fecus enim exceptio in collisione fieret maior, quam est necessaria. Praeterea actus, quo imperans subditis ius quae situm auferit sine iusta causa, quam longissime abest a paterna imperantis in subditos voluntate, ac regnandi legibus manifeste repugnat, quae docent, imperantem nunquam ex priuatis thesauris, sed ex diuitiis subditorum esse aestimandum.

§. LXXII.

Effectus dominii eminentis diuersi sunt, prout diuersa potest existere reipublicae necessitas, aut utilitas. Si enim viae publicae, sine quibus nec commare, nec commercia frequentare licet, vel fluminis impetu, vel ruina fuerint destrudae, ex vicinis hae restituuntur fundis (*). Tantum scilicet fundo vicino detrahitur, quantum ad viam reparandam exigitur. Sin mumenta exstrui-

D 3 aut



aut castra ponni necesse fit, hortos, prataque ciuium in ea mutare fas est. Non minus, si alias periret fame exercitus, subditis abundantiam frumentorum habentibus illa eripere licet. Aequo etiam, si respublica imparata esset ad arcendos hostes, ut potior pars territorii conseruetur, reliqua deuaftari potest, ne in manus hostium cadat.

(*) L. 14. §. 1. D. quemadm. seruit. amitt.

§. LXXIII.

Aliud autem, et multo grauius dominii eminentis consectorium est, ut imperans partem populi etiam inuitam in iumenta necessitate deferere, vel per passionem pacis hosti relinquere possit. Quum enim in hoc casu defensio illius fiat impossibilis, imperans ad eam non amplius obligatur. Comprobata est haec potestas moribus, & ab omnis fere aeui ciuitatum rectoribus exercita, qui obligationi rectoriae conueniens esse duxerunt, minorem quandam ciuium iacturam facere, quae sine ineluctabili totius ciuitatis exitio auerti non possit. Nemo vero obiciat, ciues in commercio non esse, igitur nec ulla ratione seruorum, ac mancipiorum more in alios transferri posse: non enim ipsae transferuntur personae, sed ius perpetuum eas regendi, sicut

sicut quando filio patroni adsignatur libertus, non hominis liberi sit translatio, sed ius, quod in libertum competit, solum transscribitur.

§. LXXIV.

Vtilitas publica, quam alteram exercendi dominii eminentis causam esse diximus §. 69. tum maxime obtinet, quando nullo impendente incommodo declinando sola augmenti publici spes adparet, ob quam subditus possessione rei suae itidem iuste deiicitur. Ex hac causa vtilitatis publicae licet per fundos priuatorum canales fodere ad vsum nauium, eorum domos ad extendenda muniendaque urbium, oppidorumue moenia occupare, ac diruere, agros vindicare, & quidquid vtilitati obstat, amouere. Munita vtiique non in extrema solum necessitate, sed et media pace exstruenda esse salus publica exigit, quia munita tumultuaria, quae hoste adpropinquante sunt, ei repellendo plerumque non solent sufficere.

§. LXXV.

Quia, vt dominium eminentis exerceri poslit, necessitatem, vel vtilitatem publicam desideramus, reliquas causas sine exceptione omnes excludimus. Non igit



tur imperanti, sicut ex vtraque hac causa, ita & ex causa voluptatis propriae, aut etiam amoenitatis publicae, vel ornatus publici res subditorum inuadere licet: non enim hic agitur de salute totius reipublicae, ob quam imperanti unice dominium eminens in res, et bona ciuium competere constat §. 67. Praeclarum huius rei exemplum dedit Senatus romanus, dum in causa M. Licinii Crassi conquerentis, per fundum suum deriuari aqueductum, quem moliebantur Praetores, illoco eum fieri prohibuerat, quod non aliam, quam voluptatis, et ornatus causam habere diceretur, et ob hanc ciuibus res suas auferri, aut corrumpi omnino iniustum ei videretur.

§. LXXVI.

Vtut vero haec dominii eminentis coniectaria in rebus secularibus ab omnibus admittantur, de bonis tamen mens est, atque sententia. Etenim quidam illorum ab eminenti quoque imperantis dominio exemptionem adstruere conantur. Verum nihil obstat, quo minus et in his dominium eminens vim suam exercere queat. Quo autem hoc clariss elucescat, triplex honorum, quae vulgo ecclesiastica dicuntur, aduertenda est differentia. Sunt nempe



nempe vel bona immediate cultui diuino dicata , quaeque *bonorum sacerorum* nomine veniunt , vel sunt bona , quae mediate tantum ad cultum diuinum tendunt , quatenus ministris ecclesiae congrua alimenta praebent , quae *proprie bona ecclesiastica* vocantur , vel denique sunt bona *Clericorum propria* , ac mere temporalia , ab iisdem seculi quoque studium sectantibus adquisita .

§. LXXVII.

Enimuero bona haec in uniuersum sunt pars quaedam reipublicae , in qua nihil potest esse comprehensum , quod non simul eiusdem dominio subiaceat §. 46. , dein commodo protectionis publicae aequem cum aliis rebus , ac bonis fruuntur , nihil ergo magis iustum , aut aequum excoigitari potest , quam vt onera , et incommoda aequalia ferant . Quod autem speciatim bona sacra adtinet , qualia sunt calices , aliaque vasa , et ornamenta sacra , ea exigente reipublicae necessitate in usus profanos impendi posse nullum dubium superesse potest , si perpendamus , ea nunquam ita ecclesiae initiari potuisse , ut supremum reipublicae ius in illa violaretur .

D 5 §. LXXVIII.



§. LXXVIII.

Constituunt enim et haec veluti sacram quoddam reipublicae aerarium, unde necessitatibus publicis subueniri interdum liceat. Siue igitur pax ingenti pecuniae vi ab hoste sit redimenda, siue captiui in patriam reducendi, siue pauperes, et extrema fame pressi alendi, quaedam etiam ex sacro hoc reipublicae aerario deponi sane iustissimum erit. Optime hanc in rem edxit S. Ambrosius(*):

quorum ecclesia habet, non ut seruet, sed ut eroget, et subueniat in necessitatibus, maxime vero publicis, quum melius sit usus seruare viventium, quam metallorum.

(*) L. 2. de offic. c. 28.

§. LXXIX.

Idem de bonis propriis ecclesiasticis, qualia sunt fundi, aut praedia ecclesiae, existimandum, quod itidem confirmatur auctoritate S. Ambrosii egregie plane hunc in modum dicentis(*): *si tributum petit imperator, non negamus, agri ecclesiae solvant tributum: si agros desiderat imperator, potestatem vindicandorum habet, agros imperatori non dono, sed non nego.* Quod demum bona Clericorum propria concernit, ea temporalia esse nemo ambigit. Sunt enim magnam partem aut priuatorum haereditatis

bus



bus adquisita, aut emtione, et donationibus congesta, atque ideo summae potestati ciuili emortua minime censeri debent, Quidquid enim hac ratione Clericis accessit, certe prius dominio maiestatis ciuilis eminenti obnoxium erat, eamque ob causam non nisi sub eadem obligatione accessisse credendum est. Aut igitur dominia horum honorum, quae a Clericis tenentur, eminenti rempublicam moderantium dominio subesse oportet, aut Clerici certe dominium omne rerum suarum abdicare, easque, quas opulentissimas possident possessiones, reipublicae restituere omnino con-guntur. Hinc si quando in usus publicos adhiberi haec bona vrgeat necessitas, aut utilitas reipublicae, nulla Clericis infertur iniuria, neque etiam statum suum mutant hac ratione occupata, quum non aliis, quam quibus antea dicata fuerant, usibus adhibeantur.

(*) Apud Gratian, cauf. XL quaest. I. can. 27.

§. LXXX.

Euidenter igitur satis, ut opinor, ex dictis adparet, maiestati ciuili competere dominium eminentis in bona omnium subditorum, non quidem ea ratione, ut facultatem iis abutendi arbitriariam inferat, sed ut ius ei tribuat illa bono publico applicandi, idque ex ipsa eorum, qui ciuitates



tes considerunt, eorumque successorum voluntate. Qui enim vult finem, velit etiam media, quae ei ex natura sua adiacent, necesse est. Nec officit, quod ab initio homines eum in finem in unam quafi et communem societatem consenserint, ut quae quisque possideret, ea ab omni aliena vi sarta, tectaque haberet, et ut Cicero (*) ait: *spe custodiae rerum suarum urbium praesidia mortales quaesuerint, neque aliter salutis publicae conseruationem intenderint, quam quatenus priuatorum salus ea continetur, ut adeo potestas nulla imperanti ad priuatorum damnum pertinens concessa esse videatur.*

(*) L. 2. offic.

§. LXXXI.

Namque priuatorum salus publica salute nititur, nec pessumdata totius reipublicae salute res suas priuati saluas habere possunt. Quod autem coeuntes in ciuitatem per publicae salutis conseruationem propriam intenderint, id quidem de singulis dicere verum est, si fieri possit, sin minus, et omnes, aut res omnium saluae esse nequeunt, tunc maioris, aut potioris partis salutem cum damno paucorum ut imperans adserat, ratio ipsa dictitat, ac in id quoque ipsi ciuitatis conditores consenserint. Quidni enim consenserint,

quum



quum secus simul cum tota ciuitate perire
necessae haberent? Omni igitur dubitatio-
ne caret ius imperantis, quod habet bona
eripiendi subditis, iusue quaesitum iis tol-
lendi ex iusta causa, dum nempe salus,
aut incrementum reipublicae vertitur.

§, LXXXII.

Contra dominium eminens ab incom-
modis inde oriundis varia ducuntur argu-
menta. Nos delibabimus solum aliqua:
primum esto illud, quod admisso dominio
eminenti turbentur dominia priuatorum,
et duos esse eiusdem rei dominos sequatur,
quod fieri non posse non tantum Icti ex
legibus romanis docent (*), sed et ratio
naturalis commonstrat. At diuersa sane
est a turbatione subordinatio dominiorum
priuatorum eminenti imperantis dominio,
cui illa in casu necessitatis aut utilitatis
cedere solum iubentur, caeteroquin autem
subsistunt fatis, omnesque suos effectus re-
tinent. Ex quo ipso adparet, non esse
duos eiusdem rei dominos uno eodemque
respectu consideratos, sed dominos rerum
priuatarum in statu reipublicae ordinario
pro lubitu de iis disponere posse, hanc-
que facultatem non nisi tum, vbi domi-
num eminens exerceri necessitas aut uti-
litas publica postulat, quiescere debere.

(*) Lib. 5. §. fin. D. commodat.

§. LXXXIII.



§. LXXXIII.

Porro et illud male obueritur dominio eminenti, quod ius hoc tyrannidi praebere causam, et imperantem ad omnis generis rapinas in bonis subditorum exercendas inuitare possit, dum iure suo de rebus priuatorum disponere sibi videatur. Non enim absoltō imperantis arbitrio subiecimus bona subditorum, sed eminenti eiusdem dominio necessitatī, aut vtilitatis publicae limites praefiximus, extra quos ei non temere ad illud conuolare licet. Quod si imperans limites hos egressus fuerit, et extra hos quoque bona subditorum occupauerit, peccat in conscientia, eiusque rationē reddet diuino numini, subditū tamen non gaudent iure resistendi, cui ob bonum commune renuntiarunt in ipso subiectionis pacto. Quid si imperans negaret, se hos limites excessisse, cuinam tunc iudicium effēt relinquendum? Certe non subditis, quibus deest sufficiens reipublicae circumstantiarum cognitio, et quos imperans iudices agnoscere nullo plane modo tenetur. Quid, quod plebs faepe mala putat imperantis confilia, quae tamen reuera saluberrima sunt reipublicae? vt adeo infinitis turbis pateret porta, si, quod multitudini displicet, suscipi iam non posset.

§. LXXXIV.



§. LXXXIV.

Tertium argumentum, quo impugnatores dominii eminentis vti solent, consistit in eo, quod adferto hoc dominio eminenti differentia inter peculia seruorum, ac bona subditorum penitus tolli, et omnis distinctio imperii ciuilis ab imperio herili labefactari videatur. Ast alia longe ratio est iuris in peculium serui, ac dominii eminentis in bona subditorum: illud enim est dominium illimitatum, hoc vero limitibus necessitatis, et utilitatis publicae est circumscriptum §. 69. Tantum igitur abest, vt ambo haec imperia confundantur, vt etiam insigne adhuc inter illa discrimen omnium oculis subiiciatur.

§. LXXXV.

Denique dominio eminenti manifeste refragari sacras literas iactitant: ibi enim (*) grauissime aiunt improbari factum Achabi Nabotho extorquentis vineam palatio regio proximam, vt ex ea hortum olitarium adornaret. Sed quantum hi a vero aberrant? exemplum enim adlatum probat, ius hoc propriae voluptatis ergo fuisse exercitum, quam longe autem nostrum ab hoc iure differat dominium eminentis, ex supra dictis abunde



colligitur, vbi illud vltra necessitatem,
vel vtilitatem publicam extendi nullatenus
posse ipsi adfirmauimus §. 75.

(*) I. Reg. 21.

§. LXXXVI.

Cognitis hac ratione causis iustificis,
et effectibus dominii eminentis, reliquum
est, vt examinemus obligationem impe-
rantis subditis damnum, quod ob id pauci
sunt resarcendi. Nam vt subditis ius
quaesitum auferatur ex vi supereminentis do-
minii, inquit GROTIUS (*), primum re-
quiritur vtilitas publica, deinde vt, si fieri
potest, compensatio fiat ei, qui suum amisi,
ex communi. Ex quacunque igitur cau-
res, vel bona subditorum ad bonum pu-
blicum ab imperante occupantur vel de-
struuntur, semper, si fieri potest, pre-
mium eorum dominis est resarcendum.

(*) L. 2. de I. B. et P. c. 14. §. 7.

§. LXXXVII.

Etenim dominium eminentis non ex-
cludit satisfactionem cessante necessitate
iis ciubus praestandam, qui praecipuo
onere grauati fuerunt. Quum enim reli-
qui ciues etiam ad haec onera ferenda
fuerint obligati, imperanti ius est, eos
adigendi in hunc finem, vt illa aequaliter
inter se dividant, eique, qui vel solus
onera



onera tulit, vel saltem potiorem eorum partem, damnum inde passum pro rata quisque refarciant. Hic igitur non plenam quidem danni refarcitionem a reliquis petere potest, quia una ferre debet onus, attamen nec plus oneris ferre co-
gendus est, quam alii ciues.

§. LXXXVIII.

Sicut enim singuli, qui in ciuilem coetum coiuierunt, tenentur publicate saluti seruire bonis tradendis in communem usum, ita iustum omnino erit, vniuersos ciues tanquam socios commune censere damnum, quod societatis causa vni contigit. Aequissimum enim semper est, commune detrimentum fieri eorum, qui propter amissas res aliorum consequuti sunt, ut suas saluas haberent (*). Et sicut eos, qui una eademque naui vehuntur, factam leuandae nauis causa bonorum iacturam sarcire oportet, ita nihil magis fini societatis ciuilis repugnaret, quam locum cum detimento alterius fese ab obligatione refaciendi damnum, quod hic ob bonum publicum perpetius est, eximere. Eo enim potissimum sine ingressi sumus ciuitatem, ut vna omnium salus sit, vnum et commune periculum, igitur etiam damnum ciuitatis causa vni illatum a reliquis sociis eidem pro rata compensandum est.

(*) L. I. l. 2. D. de legē Rhodia de iactu.

E §. LXXXI



§. LXXXIX.

Quarum vero rerum pretia refundenda sint, non aequae inter omnes conuenit. Aliae siquidem auferuntur in salutem ciuitatis percipiendam, aliae, ne hosti prospicent, et noceant suis. Ex primo capite pecunia numeraca sumitur pro conscribendo, et alendo milite, aedificia diruuntur ad firmando moenia, horti, prataque occupantur pro ducendis fossis, aut ampliandis operibus. Haec cum palam in societatis commodum, et omnium protectionem transeant, retributionem eorum dominis faciendam esse omnes facile concedunt. Aliter autem comparatum esse putant cum illis bonis, quae hosti praeripiuntur nocitura reipublicae, si salua in hostium potestatem veniant, qualia sunt aedificia suburbana, quae ad hostem arcendum subinde comburi, vel prosterni solent: haec prudenter, et necessario corrumpi aiunt, ne hostis augmentum virium capiat obsidendi ipsam ciuitatem, non tamen opus esse, ut premium pro iis rependatur, quod reipublicae usui alioquin non cedant amplius, sed nisi destruantur, fiant certissima hosti praeda, atque adeo non tam ciuibus, quam hosti, in cuius potestatem iamiam ventura sunt, eripi videantur, demum perirent semper ab hoste quocunque modo perdenda. At quamuis haec omni-

du-



dubitacione careant, simul tamen certum est, hostem per huiusmodi praeuentiones a bonis reliquorum ciuium arceri, iuri autem naturali omnino congruit, ut omnium contributione sarciantur, quod pro omnibus datum est (*).

(*) L. I. et II. D. de lege Rhodia de iactu.

§. XC.

An etiam damnum ab hoste illatum vni, aut minori parti ciuium a reliquis ciuibus resarcendum sit, magis ardua est disceptatio? Sed res distinctione dissoluitur: vel enim ab imperantis nostri potestate dependet, hanc vel illam partem tueri, vel non: si primum, damnum omnino erit resarcendum iis, quibus datum est, quod ciues inter se socii sint, eosque communia sentire damna oporteat, quae societatis causa contingunt. Sic dum imperans ad maiorem stragam euitandam hanc potius quam illam partem voluerit cum hoste committere, damnum huic datum pro rata ex arca communi resarcire tenetur, quum vtramque partem aequaliter tuendam ac defendendam suscepit; ubi igitur aequalis haec defensio moraliter evanescit impossibilis, ideoque illam potius partem defendendam esse ratio dictauit, ex cuius adgressione maius metuebatur malum, iustum sane est, alteram partem, cuius saluti hoc modo prouisum est, huic, quae damnum propterea passa est, pro ra-

E 2

tione



tione rerum suarum hac ratione conser-
uatarum retributionem facere.

§. XCI.

Si vero imperans noster damnum ab
hoste datum nec praeuidere, nec prae-
uisum impedire potuerit, cessabit omnis
prorsus satisfactio, ac damni resarcitio:
est enim tale damnum casus mere fortui-
tus mutua vice inter ciues tolerandus.
Contingit hoc, si tempore belli quidam
subditi aequali protectione ac defensione
sui imperantis fruentes ob situm habitatio-
num suarum hosti magis opportunum,
vel per direptiones, ac deuastationes,
vel per agrorum depraedationes damnum
prae aliis fuerunt perpepsi. Quum enim
tunc solum, quando vi dominii eminentis
bona quorundam subditorum vindici-
cantur, aut negliguntur in commoduni
aliorum, restitutionem faciendam esse di-
ximus §. 88. nulla hic ratio subest, cur
et in hoc casu, quo bona eorum ab ipsis
hostibus eripiuntur, et nulla reliquorum
est utilitas, iisdem a reliquis pars qua-
dam bonorum suorum ad damnum mitigan-
dum contribuenda sit.

O. A. M. D. G.

(X2281931)

TA - 701

ULB Halle
006 355 056

3



VDA 78

BIG

Farbkarte #13

	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black	B.I.G.
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10
inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11
2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12
3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13
4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14
5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15
6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16
7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17
8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18
9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19

DISSESSERTATIO

IN AVGVRALIS-JVRIDICA,

D. 7

IVRE IMPERANTIS

IN PERSONAS,

E T

BONA CIVITATIS



VIEENNAE.

TYPIA JOANNIS THOMÆ NOB. DE TRATTNERN,
SAC. CAES. REG. AVL. TYPOGR. ET BIBLIOP.

1774